









Faber Lex & plures alii, quorum fundamentum est, quia Matth. 18. eis, quibus conceditur potestas...

77 Sexto quid sit dicendum quoad conditiones ex parte absolventis... 78 Denique quoad formam abolutionis ab excommunicatione potest esse sermo...

continencia desiderare noli; tunc enim si Index prudenter cognoscens, quod si absolutus...

79 Prima difficultas est, an absolutio ab excommunicatione potest fieri sub conditione...

ARTICULUS SEXTUS.

Quasdam difficultates explicantur in hac materia.

80 Secunda difficultas est, quando facultas absolventi conceditur, sub hac conditione...

daopinionem adductam hic modus absolventi, quamvis alioquin licitus, raro est in usu...

81 Tertia difficultas est, an ut sit, qui absolutus est ad reincidentiam, iterum in excommunicationem incidat...

82 Quarta difficultas est, si excommunicatio hoc modo feratur: Petrus ob tale factum...

ne gravi detrimento id facere potuit, vel non; si primum, certum est per novam culpam reincidente...

83 Quinta difficultas est, an absolutus ab excommunicatione in foro conscientie possit cum aliis communicare...

84 Sexta difficultas est, an absolutio ab excommunicatione in foro conscientie possit cum aliis communicare...

tamquam non excommunicatum, si vero esset excommunicatus publicus, non potest uti publice absolutione obtemperantem in foro conscientie, neque cum aliis communicare propter scandalum, nisi etiam publice confiteri ipsum fuisse absolutum. Hoc autem tripliciter constare potest publice, primo, dum scitur penitentem Confessum fuisse tempore Jubilii, in quo aderat facultas absolvendi ab illa excommunicatione. Secundo quando scitur ipsum fuisse Confessum Confessario habenti facultatem absolvendi a tali excommunicatione & conlignam exhibuisse satisfactorem. Tertio tandem, quando ipse Confessarius hoc attestatur, qui tamen cavere debet, ne praedictam faciat attestationem nisi a penitente prius facultatem obtinerit illius attestationis faciendae, Confessarius enim loqui non potest extra Confessionem de auditis in illis in his igitur tribus casibus uti potest publice absolutione obtemperantem in foro conscientie, & cum ceteris communicare, quia tunc cessat scandalum periculum. Ita Bonac. l. c. cum Doctoribus adductis, ubi etiam addit, quod quando quis absolutus fuit in foro conscientie ab excommunicatione non publica, potest occulte cum his communicare, quibus non uti ipsum fuisse absolutum, quamvis absolutus publice non committit, quia in tali casu scandalum periculum inminere non videtur; & quando ejus delictum, ob quod censuram contraxit, deservit ad iudicem, non indigere nova absolutione, ut possit cum ceteris communicare, aut actus per censuram prohibitos exercere, quia re vera fuit absolutus, & consequenter potest se gerere, tamquam absolutus, modo aliis confiteri ipsum fuisse absolutum, ita ut non subit scandalum periculum.

84. Sexta difficultas est, An excommunicatus ab uno Episcopo, si mutet domicilium, possit ab alio Episcopo absolvi, in cuius Diocesi de novo domicilium accepit. Aliqui partem teneant affirmativam, quia jam est sub jurisdictione alterius Episcopi. Ita Valquez, Turrianus, & quidam alii. Alii vero partem defendunt negativam, quia causa jam est incepta, & ideo ad priorem Episcopum eiusdem causae consummatio spectat. Ita Suarez, & ex nostris Faber loc. c. Alii communiter, & probabiliter cum distinctione procedunt, nam vel excommunicatus a suo Episcopo est excommunicatus non particulariter, nec nominatim, sed solam generaliter, & per sententiam generalem lata fuit excommunicatio, quia, scilicet, Episcopus excommunicavit in genere quemcumque, qui illud delictum fecit; vel est excommunicatus particulariter, & nominatim ob aliquod delictum commissum, excommunicatus primo modo potest ab alio Episcopo absolvi, in cuius Diocesi domicilium accepit, quia talis excommunicatio non est reservata ei, a quo lata fuit, sed potest a quocumque absolvi, sicut excommunicatio a jure; excommunicatus autem secundo modo non potest absolvi, nisi a iudice, qui sententiam tulit, quia ille jam acquiritur; & ideo jurisdictione sic per actum confirmata non amittitur per mutationem domicilii, & translationem domini, nam ex lite coram ipso Episcopo ille accepit jus in illum ex capite. *Proprius* de foro competenti, & aliter faciendo plures fraudes committi possent; Unde qui per sententiam particularem contraxit excommunicationem, debet absolvi a iudice, qui illam tulit, & a cuius excommunicatione ligatus fuit, quia ratione illius delicti delinquens est subditus illius Episcopi. Et pariter eadem ratione qui existens in alieno Episcopatu citatus fuit in aliqua causa coram illo Episcopo, in qua causa contingat ipsum quoque excommunicari, ab alio Episcopo non potest absolvi, quia ex lite coram ipso Episcopo ille accepit jus in eum, ut habetur cap. cit. *Proprius* de foro competenti. Ita Navarrus, Caspensis, & alii Doctores communiter, & quoad hanc partem consentit etiam Faber l. cit. c. 8. apud quem alia quaedam dubia videri possunt soluta ad hanc materiam spectantia. Demum quid sit dicendum de excommunicatione minori, ac ejus effectibus, & quis ab ea absolvi possit satis constat ex dictis supra in hac quaestione ar. 1. n. 35. & 36. alia plura de excommunicatione videri possunt apud Nicolaum de Orbellis 4. dist. 28. q. 3. 4. & 5.

QUESTIO TERTIA.

De suspensione.

85. Jam supra dictum est ab initio huius Disputationis de Censuris qu. 1. art. 1. num. 6. triplicem esse censuram, seu essentialiter in tres praecipuas species dividi scilicet, in excommunicationem, suspensionem, & interdictum. De prima Censura Ecclesiastica, quae est omnium gravissima, quaestione praecedenti disputavimus; in praesenti igitur secundam speciem, quae suspensio dicitur, aggre-

dimur explicandam, & omnibus variis acceptionibus, quibus hoc nomen accipi potest, solam agemus de suspensione Ecclesiastica.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit suspensio, & quare triplex, & quomodo differat a ceteris censuris, & poenis.

86. Primum suspensio est censura, qua Clericus functiones aliquas Ecclesiasticas exercere prohibetur, hinc enim est sermo de suspensione proprie. & sic dicitur sumpta, & prout est Censura Ecclesiastica Clericorum propria, solus enim Clericus suspendi potest; unde communiter a Doctoribus definitur, quod est Censura Ecclesiastica, quae prohibet, vel avertit Minister Ecclesiae ab aliquo alio Ecclesiastico officio, vel avertit, & hoc ad tempus, & sic etiam definitur a Scoto q. d. 25. qu. 1. h. Censura Ecclesiastica sit loco generis, per quod suspensio distinguitur ab alia poena Canonica, quae non est censura, ut est cessatio a divinis, irregularitas, degradatio, & depositio, quae non sunt censurae proprie dicitur, ut constat ex dictis l. q. 1. ar. 1. n. 6. Aditus *Qua Minister Ecclesiae*, Sec. Siquidem haec censura ab aliis differat Censura excommunicatione, scilicet, & interdictum, ut Navar. advertit c. 27. quia suspensio proprie est Clericorum censura, & solus Clericus convenit, ut dicitur et ferturque formaliter contra eos, aut Clerici sunt, aut beneficium habent, excommunicatio vero, & interdictum sunt censurae communes Clericis, & Laicis. Additur tandem alia particula, *Ad tempus*, per quam etiam Scotus suspensionem distinguit a ceteris aliis poenis Canonice, & quoniam Suar. *disp. 25. sect. 1.* cum aliis recentioribus hanc particulam non approbet, quia omnes censurae sunt medicinae, ut patet cap. *Medicinalis de sent. excomm. in 6.* & ideo in suspensione, quae est censura, certum tempus praescribi non potest, sed semper illam conditionem includit *donec resipiscat, vel satisfecerit*. Hoc tamen non obstat, quia ut Faber advertit *disp. 6. c. 1.* quando Scotus dicit, quod suspensio est prohibitio ad tempus, non intendit, quod suspensio, quatenus est censura, feratur ad determinatum tempus, quia certum est ferri ad contumaciam tollendam; & ideo perseverare potest, quantum ipsa contumacia durat, quae cum sit incerta, incertum etiam est tempus, quo suspensio durare, & perseverare potest, eatenus igitur dicitur Scotus suspensionem esse prohibitionem ad tempus, quia suspensio ex vi nominis, & ex natura sua est prohibitio non perpetua, sed temporalis, qui enim suspenditur ab aliquo officio vel beneficio, non privatur illo omnino, sed remanet spe restitutionis, in aliis vero censuris, ut sunt excommunicatio, & interdictum, & alii poenis Canonice ut est irregularitas, depositio, degradatio, & cetera ex vi nominis, & natura censurae non infirmitur spes restitutionis, sed solam privatio eorum bonorum, quibus privatur, abstractendo a perpetuitate prohibitionis, & spe restitutionis; licet in duabus illis censuris, in quantum sunt ab Ecclesia institutae, spes restitutionis includatur, quia sunt ordinatae, ut medicinae ad contumaciam tollendam. Ita Faber l. c. Aliae etiam definitiones suspensionis a Recentioribus assignari solent, praesertim illa, quod est censura, qua Clericus impeditur, ne functiones exerceat sui officii vel beneficii, seu qua Clericus functiones aliquas Ecclesiasticas exercere prohibetur, quae coincidunt cum illa a nobis assignata; qui autem suspensionem violat, & actum exercet, a quo suspensus est, mortaliter peccat, ut docet Navar. Bon. Suar. & alii communiter, nisi materiam leviter excuset; & si suspensionem violat per exercitium solemne ordinis alicujus majoris, a quo suspensus est, etiam irregularitatem, ut patet ex dictis, incurrit.

87. Secundo suspensio triplex est, altera enim est a jure, & altera ab homine, ex Scoto l. c. quae divisio communis est omnium censurarum, ut dictum est qu. 1. de Censuris in communispeculiaribus, autem, & celebris divisio censurarum suspensionis, quam ibidem Doctor assignat, est in suspensionem ab officio tantum, sive officium sit ordinis, sive jurisdictionis, & in aliam a beneficio tantum, seu ab administratione, & fructibus beneficii percipiendis, & ad aliam addunt DD. communiter ab officio, & beneficio simul, quam Scotus omittit, quia nihil aliud est, nisi aggregatum ex utraque suspensione, ut ait Faber loc. c. numeratur tamen, ut tertia species, quia utroque simul habet plures effectus, quam suspensio ab officio tantum, & suspensio a beneficio tantum, quia ratione dici solet suspensio totalis, ut expressè habetur in cap. *Tuarum* 11. de privilegiis, alio vero duae priores dicuntur partiales, quia per unam suspenditur quis ab officio tantum, & per aliam a beneficio tantum. Unde quando in iure profertur sententia suspensionis simpliciter, & absolute, & non exprimitur an sit ab officio, vel beneficio, intelligi debet de suspensione ab utro-

utroque, sive de suspensione illum integrum effectum complectente, cum non sit major ratio, quare intelligatur potius de una quam de alio, ut communiter explicat DD. & ex nostris Blondus *disp. 6. ar. 3.* & Faber l. c. Rursus suspensio ab officio alia est ab officio in actu, quia nimirum quis privatur omni usu sui officii, & omnibus actibus ad illud pertinentibus, ut si aliquis suspendatur ab ordine, & jurisdictione, alia est ab officio in parte, qualis est illa, quae v. g. quis suspenditur a confessionibus audiendis, non vero ab aliis Sacramentis administrandis, aut aliis, quae proprium concernunt officium; per officium vero intelligitur in praesenti omnia potestas spiritualis ad aliquem actum spirituales exercendum, sive ordinis, sive jurisdictionis, sive administrationis Ecclesiasticae; per beneficium vero intelligitur jus ad capiendum Ecclesiasticos fructus, vel proventus. Denique quia suspensio duobus modis ferri potest, uno modo, ut per a medicinalis, quae posita emendatione exigat auferri, quia ratio est proprie censura Ecclesiastica, alio modo, ut pura poena, seu vindicta alicujus peccati commissi, & vindictam delicti commissi est illa, quae fertur in punitionem, & vindictam delicti commissi, & haec non fertur per modum censurae, sed per modum poenae; medicinalis est illa, quae intenditur emendationem delinquentis, & haec est proprie censura, ut notat Bonacina *disp. 3. de suspensione punct. 1.* Qui autem majorem hanc speciem explicationem desiderat, Fabrum legat *disp. 6. cit. c. 1.* ubi sigillatim de singulis dicitur, de quo nos art. seq.

88. Tertio. Scotus loc. cit. cum aliis antiquioribus aliam addunt suspensionis speciem, quae est ab ingressu Ecclesiae, quam Recentiores non libenter recipiunt, Suarez namque *disp. 35. sect. 4.* censet prohibitionem, quae quis ab ingressu Ecclesiae prohibetur, non esse speciem quandam suspensionis, sed interdicti Ceterum, ut Faber advertit l. c. & Blondus art. 17. in iure suspensio ab ingressu Ecclesiae fertur sub nomine suspensionis, ut patet ex cap. *In cui de sentent. excomm. in 6.* & in cap. ult. de officio Ordinarii in 6. haec suspensio ab ingressu Ecclesiae enumeratur cum aliis duabus speciebus suspensionis ab officio, & beneficio, nam verba textus sunt ista: *Alloquin Episcopi, & eorum Superiores ab ingressu Ecclesiae, ceteri vero ab officio, & beneficio tamdiu a ipso noverrint se suspensos, quousque restitutionem fecerint de praedictis;* & hoc etiam ratio ipsa suadet, quia talis prohibitio ab ingressu Ecclesiae, ut est quaedam suspensio speciei, proprie Clericorum est, unde in cap. cit. fertur poena irregularitatis contra eum, qui suspenditur ab ingressu Ecclesiae in ea celebrata divina; ut autem est species interdicti, est quaedam poena communis Clericis, & Laicis. Quare suspensio ab ingressu Ecclesiae, ut est quaedam suspensio speciei, in hoc consistit, quod Clericus suspenditur in ea celebrare prohibetur, & divinis officiis interesse; potest tamen in ea orare, Sacramentum recipere, jurisdictione exercere, ac etiam in ea sepeliri, si cum signis poenitentiae decessat, ut ex c. Colligunt, Sa. yrus, Emanuel Sa, & alii Doctores. Interdum vero ab ingressu Ecclesiae non solum prohibetur celebratio divinarum in ea, sed etiam Sacramentum tibi recipere, privatas orationes ibi fundare, & in ea sepeliri, & alia hujusmodi, ut patet ex infra dicendis de interdicto, quae ita constat, quomodo prohibitio ab ingressu Ecclesiae, ut est quaedam suspensio speciei, differat ab eisdem prohibitionibus, quatenus est species, interdicti. Tandem ut ait Faber l. cit. haec disputatio, an prohibitio ab ingressu Ecclesiae sit species interdicti, vel suspensionis, parvi momenti est, quia in iure fertur modo sub nomine suspensionis, modo sub nomine interdicti & sicut, ut sciamus quomodo sit effectus talis prohibitionis, ut est species suspensionis, & ut est species interdicti.

89. Quarto differat suspensio a ceteris censuris, & poenis Canonice, & primo quidem differat ab excommunicatione majori, quia major excommunicatio plures parit effectus, quam suspensio, & licet plura sine eadem materialiter, quibus haec, & illa privant, tamen diversa formaliter, quia illi privant sub diversis ratione; nam suspensio privat v. g. celebratione Missae, quatenus est actus ordinis, & Ecclesiasticae potestatis, & ulnis activis Clericorum propriis; excommunicatio autem major non privat haec ratione, sed quatenus celebrare est communicatio in divinis cum aliis fidelibus. Ab excommunicatione minorum differat, quia haec privat solum passiva receptione Sacramentorum, non vero suspensionem, quae solum privat activa, & plures alios habet effectus, quam excommunicatio minor. Ab interdicto differat, quia suspensio fertur in Ecclesiasticas personas. Interdictum vero tam fertur in Clericos, quam in Laicos, & interdictum privat usu passivo Sacramentorum, & Ecclesiasticae sepulturae, quibus non privat suspensio, & licet saepe privet eadem re materialiter, non tamen formaliter, sed sub diversa ratione, ac denique suspensio non inducit privationem tertium, sicut inducit interdictum, ut ex dicendis patet. Ab

irregularitate differat, quod haec privat suspensione ordinis, ut ordo est: suspensio vero privat exercitio ordinis, vel beneficii, seu potestatis Ecclesiae, ut est quaedam functio. Demum differat a depositione, & degradatione, quod utraque siturum est amodo perpetua, & sine spe recuperandi gradum Clericalem, unde hodie sunt tantum in his Clericis, qui brachio seculari traduntur, quod non accidit in suspensione, quae ex se non est perpetua, neque annullat officium ipsum, nec beneficium habitum, & est poena medicinalis; depositio vero, & degradatio sunt poenae ex se perpetuae, ac proinde neque medicinales, neque censurae, & privant officio, & beneficio habitis, inhabileque reddunt ad beneficia de novo obtinenda; unde per depositionem, & degradationem persona Ecclesiastica ob aliquod enorme delictum removetur in perpetuum ab omni ordine, jurisdictione, & beneficio, ita ut quamvis ordinis characterem non amittat, qui indelebilis est, omni tamen, & quocumque illius usu privatur absque ulla spe remissionis. Quod si hae solis fiat verbis, depositio verbalis appellatur, si vero praeter verba alia quaedam caeremoniae adhibeantur in Pontificali praescriptae, vocatur realis depositio, seu degradatio, ut fuisse declarat Faber *disp. 1. de poenis, & censuris c. cum Scoto* l. c. ubi etiam advertit, quod depositio verbalis non tollit privilegium fori, degradatio vero tollit, ita ut degradatus possit a iudice Laico eodem modo plebisciti, ac si nunquam Clericus fuisset; & tandem adit ex communi Summistarum sententia depositum, & degradatum non eximi ad obligationem servandi castitatem, & horas Canonice recitandi, ad quas prius tenebatur, quia obligationes illae ordinibus sunt annexae, seu potestati ordinis, non potestati jurisdictionis; tum quia depositio, & degradatio sunt poenae, & ideo non imponuntur ad onera tollenda, sed ad tollenda honores, & adimplenda gravamina, & Scotus addit l. c. haec poenas, nunquam a jure, sed praesente a iudice infligendas esse.

90. Quinto si suspensio proprie, & stricte sumatur, quatenus est censura, seu poena Ecclesiae lata in poenam medicinale ipsius suspensio, non potest valide ferri, nisi ob culpam propriam illius, qui suspenditur, ut Faber advertit *disp. 6. cit. c. 1.* & ratio est, quia cum in iure sit medicinalis non potest ferri, nisi ad tollendum peccatum, & contumaciam, unde quando nulla est contumacia, nec culpa, injuste quis suspenditur, quod maxime veritatem habet de suspensione ab officio, seu ab ordine sacro, quae prime, & principaliter est censura Ecclesiastica; imò neque ferri potest ob culpam tantum venialem, ut contra Navarrum, & Avilam tenent Faber, Suarez, Vazq. Caspensis, & alii, quia ex se est poena gravior, & quae non facile tollitur, & proinde ferri nequit, nisi ob culpam gravem, sive mortalem, notante autem dicit, si suspensio proprie, & stricte sumatur, quia si sumatur large pro omni prohibitionem utendi aliqua potestate, admitti potest, quod ferri possit ob culpam venialem tantum, imò etiam & sine propria culpa, ut docent aliqui Canonistae, quod deducunt ex c. *Vel non est comper*, de tempore ordinandum, ubi puer ordinatur in aetate 13. annorum suspenditur ab officio Diaconi usque ad aetatem legitimam, patet enim quod puer ille nullam habeat culpam, sed Episcopus eum ordinando. Qui autem possit hac censura ligare, vel ligari, seu quomodo possit suspendere, vel suspendi satis constat ex dictis de censuris in communis, nam potestare ordinaria suspendere possunt omnes illi, in quibus ex vi proprii iuris ordinario, sive humano, sive divino, residet in foro exteriori Ecclesiastica potestas, & potestatem delegata illi soli suspendere possunt, quibus talis potestas delegata fuerit, vel commissa ab habente ordinariam potestatem. Suspendi autem possunt omnes Clerici viventes, Summo Pontifice excepto, ut potest subditi Ecclesiae, & Officii Ecclesiastici capaces, ac beneficii, a quibus sit suspensio, qui vero non sunt Clerici, effectuum suspensionis non sunt capaces.

91. An vero communitas Ecclesiastica, ut Collegium, vel Capitulum suspendi possit, pendet ex dictis *qu. 1. de Censuris* in communi ar. 4. n. 18. ibi enim diximus censuram suspensionis, & interdicti utique ferri posse in Communitatem, Capitulum, & Collegium, ut habetur cap. *de Sede vacante*, & in cap. *Quia sapo* 30. de elect. in 6. non autem censuram excommunicationis, & ratio discriminis est, quia ut ibi dicebamus suspensionis, & interdictum non sunt poenae ita graves, sicut excommunicatio, non enim privant hominem suffragiis, & auxiliis Ecclesiae, sicut privat excommunicatio, unde absurdum non est aliquos innocentes, & bonos, quatenus sunt membra illius corporis, ligari interdum suspensione, & propter peccatum commune puniri in particulari, tum quia ut ait Faber *disp. 6. cit. c. 2.* suspensio in hoc praesertim ab excommunicatione differat, quod excommunicatio privat bonis personarum, ut participatione Sacramentorum, & aliis rebus divinis, quae sunt actiones, quae non competunt communitati, ut sic, & collectivè sumptae, cum illa, ut sic, non habeat animam, quae sit capax privationis